



**A**DOLPHUS filius fuit Adolphi comitis Marchi  
ani & Cliuensis. Ab eo in omnis generis uir-  
tutibus educatus magnam authoritatem inter Ger-  
maniæ proceres obtinuit. Erat enim corporis, ani-  
mi, & fortunæ bonis mirum in modum præditus. I-  
taque post patris obitum suam ditionem gubernâ-  
dam suscepit, atque omnibus alijs pietate & iustitia  
exemplo fuit. Eius ergo uirtute motus Sigismundus  
Cesar eū in Constantiensi cōcilio ducē Cliuen-  
sem constituit, atq; Imperij príncipibus adnumera-  
uit, anno millesimo quadringentesime decimo se-  
ptimo. Cum hoc modo longo tempore suum duca-  
tum magna gloria administrasset, tandem moriens  
cum anno 1443 filio suo Ioanni reliquit, qui urbem Soest à Coloniensi præsuli  
alienatam suæ ditioni adiecit. Huius nepos Ioānes Vilhelmi ultimi ducis lu-  
liacensis filiam Mariam uxorem duxit, atque per eam Iuliacensis & Bergen-  
sis dux factus, Guilhelmum filium genuit, qui Adolpho attauo suo quam si-  
milimus, hodie magna laude Cliensem, Iuliensem, & Bergensem ducatus  
administrat. Monst. lib. 3.